



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. De potestate Archiepiscopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

& non aliter, Romano Pontifici fidelitatis & obedientiæ iuramento, *can. Oportum d. Dist. 100.*

Quâ autem forma detur, & quibus diebus uti eo possit Archiepiscopus, videatur apud Glos. in *d. c. Ad honorem*. De forma Pallij Panorm. in *Rubr. h. t. n. 5 & 6.*

6. Subjiciendum hic, Episcopum non uti pallio, nisi ex Privilegio, *c. Cum in juventute inf. De praesumpt.* ubi id de Quinque Ecclesiensis traditur, idemque de Hostiensi in ostijs Tyberis fluvij, de Papiensi in Longobardia; Lucensi in Tuscia; Bambergensi in Germania, alibi memoratur.

§. II.

De potestate Archiepiscopi.

1. Archiepiscopus est summus Episcoporum, qui & Metropolitanus.

2. In quos juris dictionem exercent.

1. **A**rchiepiscopus, qui subsequitur Primatem, tamquam jurisdictione inferior, *can. 1. distinct. 99.* major est Episcopis in sua Provincia subiectis, per proprias dioceses, *can. 12 & 3. q. 3.* Episcopi autem subiecti in jure Canonico vocantur Suffraganei, quia Archiepiscopi in officio Archiepiscopali suffragantur, *Archiepiscopus à Grecis dicitur Princeps seu summus Episcoporum, can. Cleros distinct. 21* id est primus seu summus Episcopus. Olim quidem solitus fuit vocari *Patriarcha*; sed postea usus obtinuitur soli quatuor, supra nominati post summum Pontificem vocarentur *Patriarchæ*. Similiter olim Archiepiscopi dicti sunt *Primates*; quia principalium civitatum Episcopi; tamen postea nomen illud potissimum attributum fuit ijs, qui præerant civitatibus, sub quibus erant civitates Archiepiscopos habentes. Aliter Archiepiscopus in utroque jure vocatur *Metropolitanus, causa 19 q. 3. ferè per tot. & Novella Iustinian. 5. §. fin.* Atque hæc nomina non differre docet Rebuffus, ad §. 1. *De institutione in Concordatis*: diciturque Metropolitanicum jus in jure nostro, quod competit Archiepiscopo, *cap. de litigantibus De officio ordinarij in 6. & similibus.* Vocatur autem Archiepiscopus *Metropolitanus*, vel, ut vult Isidor. in *d. can. Cleros distinct. 21.* à mensura civitatum, quia juxta Pelagium in singulis Provincijs præfici debeat

unus Archiepiscopus, & unaquæque Provincia decem vel undecim civitates, totidemque Episcopos, ut colligitur ex *can. Sessore v. l. q. 3.* vel quia in Metropoli aliqua civitate, id est matrice primaria, sedem habet, *can. 1 & 2 Dist. 90.* Nihilominus in *d. can. Cleros*, distinguitur Metropolitani ab Archiepiscopo, ut ibidem videre licet.

2. Habet autem Archiepiscopus jurisdictionem Episcopalem & ordinariam in sua Provincia cui præest, atque in omnes Suffraganeos, non exemptos, eorumque est Judex ordinarius, *cap. Pastoralis inf. De officio ordinarij*; quorum proinde electiones confirmat vel infirmat de jure communi, de causis eorum civilibus ac criminalibus cognoscit & judicat: nisi tales sint criminales causæ, quæ reservatæ sunt summo Pontifici, cujusmodi est crimen hæresis *Conc. Trid. Sess. 24. c. 5. De reformat.* & quæ merentur depositionem seu privationem officij ac dignitatis. Vide idem Concilium *Sess. 13 cap. 8. & d. Sess. 24. cap. 5. & 8.* In subditos vero Suffraganeorum non habet jurisdictionem ordinariam, nisi certis quibusdam casibus eam vel ex consuetudine aut privilegio vel præscriptio acquisierit, *cap. Duo sunt, inf. De officio ordinarij.* Primus casus est in causis, quæ jure appellationis aut devolutionis ad eundem pertinent, *cap. 1. inf. De officio Legati*: ubi quoad hoc traditur discrimen inter Archiepiscopum & Legatum Papæ; quod nempe super causis Episcopatum & per simplicem querelam adiri possit, non etiam Archiepiscopus, nisi per appellationem causæ ad eum devolvantur. Causa autem ad Archiepiscopum devoluta, acquirit is jurisdictionem quoad personas appellantes tantum, non quoad alios. Neque etiam ad ferendum testimonium in causa citare alium potest, neque causam delegare, subdito Suffraganei in viro, *cap. 1. De foro competenti in 6.* Secundus casus est, si subditus Episcopi delinquat in diocesi Archiepiscopi, vel in ea prædium habeat. Tertius, si absolutus ab Archiepiscopo nolit parere Episcopo. Quartus, si Clericus habeat causam criminalem contra suum Episcopum, quia ead deduci debet ad Synodum, in qua Archiepiscopus præest. Quintus, quando Episcopus est negligens in eo, quod facere debet. Sunt & similes alij, quos brevitatatis causâ omitto. Et si verò

verò unus sit Iudex provinciarum, *can. In apibus VII. q. 1.* tamquam habens Jurisdictionem Archiepiscopalem, *can. per singulas IX q. 3.* non tamen tanquam habens jurisdictionem ordinariam Episcopalem: cum in unaquaque provincia debeant esse plures Episcopi, uni Archiepiscopo subiecti; habentes jurisdictionem Episcopalem & ordinariam. Et ideo licet Archiepiscopus sit Iudex ordinarius Episcoporum suarum provinciarum, non tamen subditorum illius. Nec habet hinc eum vulgaris illa regula, *Si vinco vincentem te, te vinco*, quia Archiepiscopus habet ligatam & limitatam potestatem quoad subditos Suffraganeorum.

TITULUS IX.

De Renuntiatione.

1. Quid sit Renuntiatio.
2. Et divisio ejus.
3. Renuntiatio in favorem alia simplex, alia qualificata.
4. Fieri debet cum auctoritate & consensu superioris.
5. Episcopatus ex quibus causis renuntiare liceat.
6. Semel admissa renuntiatione non datur regressus ad idem beneficium.
7. 8. Coram quo fieri debeat, & per quem.
9. Regula Cancell. de infirmis resignantibus, & publ. resignantibus.

Explicatis modis, quibus potissimum acquiruntur dignitates: sequitur de renuntiatione, per quam acquisita, tam ab ijs, qui utuntur pallio, quam ab alijs, sepe amittuntur.

1. Renuntiatio in genere nihil aliud est quam proprii juris spontanea abdicatio seu cessio. Dicitur, proprii juris; quia juri, quod habet quis tertius, renuntiare, seu illud resignare non potest, *l. Si univ. Cod. De Legatis, l. Traditio D. De acquir. ver. dom. l. Observare in fine D. De offi. Proconsulis c. Dilecto in fine de prebendis.*

Hic autem pressius sumitur pro dignitatis vel beneficii seu officii Ecclesiastici obtenti, seu juris, quod in eo quis habet, spontanea & libera coram superiore facta dimissione seu renuntiatione. Dicitur, Libera: quia coacta nullus est momenti, *c. Super hoc 5. h. s.*

2. Ea est duplex, Tacita & expressa. Tacita dicitur, quæ fit ipso jure, nulla verborum declaratione interveniente. Unde quia acceptat secundum beneficium incomparabile, securâ pacificâ ejus possessione, censetur renuntiare primò *c. De multa 28. inf. De prebendis, & qui matrimonio contrahit, c. l. i. versis inf. de Clericis conjug. Gloss. in c. Unico eod. in 6.* vel fit miles secularis, censetur renuntiare beneficio, si quod habet, *c. Inaudientia 25. inf. De sent. ex com. ubi DD. Videatur plenius Rebus in Praxi benef. tit. De resign.*

Expressa est, quæ fit verbis ad hoc accommodatis: idque dupliciter, vel purè & simpliciter; vel sub conditione aut in favorem alicujus. Purè & simpliciter fieri dicitur, quando fit in manibus superioris, sive ulla pacto, conditione vel modo, ita ut nulla fiat renuntiantis reservatio, *c. Tu nos inf. De Simonia: & post hujusmodi renuntiationem potest Ordinarius beneficium resignatum conferre, cui velit. Rebus. d. loco cit. De resignatione pura.* Conditionalis est, quæ fit sub aliqua conditione vel modo. Talis est renuntiatio seu resignatio ex causa permutationis: item quæ fit in favorem alicujus coram S. Pontifice. Quod addo, quia resignatio in favorem non potest fieri coram Ordinario: jure quippe Pontificio coram Ordinario prohibita est omnis pactio & conditio in renuntiatione tamquam simoniaca, *c. Quam pio 1. q. 2. c. Cum pridem, & c. fin. inf. de pactis Glossa & DD. in c. Ex parte inf. de officio delegati, latè Garzias de Benef. p. 11. c. 3. §. 2. n. 152. & seq.* Potest tamen, resignatus absque simoniæ labe rogare Ordinarium, ut conferat tali vel tali, *d. c. Tu nos de simonia; licet peccet, si is; pro quo rogat, non sit idoneus, c. Tuam inf. De astate & qualis. & ord. praticè.*

3. Renuntiatio in favorem simpliciter est duplex, nempe Simplex, quando quis simpliciter resignat in favorem alicujus, absque ulla reservatione: & Qualificata, quando aliquid reservatur resignanti, veluti regressus vel fructus aut medietas eorum, aut aliqua pensio. Vide plenius Flaminium, *De resignat. beneficior. lib. 1. q. 1. & 2.*

1. Dixi antè, Coram superiore facta dimissione; quia sicut miles sine permisso sui Ducis non potest deserere militiam, *tit. D. De re militari: ita quicumque habet dignitatem vel beneficium Ecclesiasticum, etiam minimum, non potest ei renuntiare sine consensu sui superioris, c. Ad-*